



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. IV. Intentio faciendi quod facit Ecclesia, non est voluntas solùm faciendi sseriò actum illum externum, sed est intentio efficiendi verum Sacramentum, sive utendi verbis illis & rebus secundùm ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

Ita Doctor de intentione primo modo, quam nemo Catholicorum facile negaverit, imò neque hæreticorum; quippe stat cum joco & irrisione Sacramenti etiam exteriore. Progrediamur ad intentionem secundo modo, in qua reperiemus majorem contradictionem & difficultatem.

Pro hac notat Scotus supra, quòd finis, propter quem actus est exercendus, sit duplex: *Principalis* (inquit) & *remotus*, utpote quod baptizatus (loquitur de Baptismo) fiat filius regni, qualis fieri non potest, si non habeat gratiam, per quam est dignus vitâ. Alius est proximus & minus principalis, ut scilicet baptizatus fiat Christianus, sive membrum Ecclesie militantis; & utrumque finem potest aliquis intendere in universali vel particulari. Quod recentiores sic explicant, ut alia sit intentio gratiæ sive effectus Sacramenti, alia ipsius Sacramenti.

Si ergo quaeratur à me, quæ intentio requiratur? Respondeo verbis Doctoris Subtilis supra n. 4. & Dico, quòd intentio finis ultimi nullo modo requiritur in baptizante; quia paganus nullo modo intendit ordinare istum, quem baptizat ad vitam æternam: requiritur tamen intentio finis proximi; & hoc vel in particulari, vel in generali: in particulari, ut si intendat istum intrare legem Christianorum servandam: in generali, si intendat facere circa istum, quod Christiani solent facere circa suos.

Pergit Doctor: Ratio autem quare requiritur ista intentio respectu finis proximi, & non respectu finis ultimi, est congrua: quia scilicet Deus voluit istum actum exercitum à ministro esse humanum in eo, & non tantum ut est talis actus in natura (quia in hoc non distingueretur à quacumque alia balneatione, cum alijs verbis) sed in quantum est actus alicuius ut ministri exercentis signum Dei: habens autem aliquem actum humanum intendit finem illius actus, ut est sibi actus humanus: ergo minister intendit finem proximum istius actus, ut est sibi impositus: sed finis ille ultimus, scilicet ordinare istum ad vitam æternam, non est finis huius, ut est actus humanus, ad quem finem oportet actum istum ordinare ut sit sibi humanus.

Probat à simili n. 5. Si quis (inquit) legislator institueret in sua politia, tactum manus esse signum practicum amicitie, non intendet quòd utentes illo signo præcisè haberent actum humanum circa istud in quantum est tale quid materialiter; sed in quantum est tale signum institutum. Et si disposisset omne tale signum facere servari; non faceret hoc servari, nisi homo exerceret actum istum, ubi est institutus ad talem finem. Ex his liquido constat, quid sit, juxta mentem Doctoris Subtilis, velle facere quod facit Ecclesia. Pro quo sit

CONCLUSIO IV.

Intentio faciendi quod facit Ecclesia, non est voluntas solum faciendi seridò actum illum externum, sed est intentio efficiendi verum Sacramentum, sive utendi verbis illis & rebus secundum institutionem Christi, hoc est, eo modo, quo Ecclesia sive universalis, sive particularis, aut etiam parochus, aut alia persona validè conficiens Sacramentum, illis utitur.

Est communis contra nonnullos Doctores Catholicos, qui videntur docere ad valorem Sacramenti sufficere voluntatem faciendi simpliciter actum externum quem facit Ecclesia, etsi cum animo merè interno non conficiendi Sacramentum.

Hanc opinionem post Concil. Florent. & Trident. novissimè defendit multis pro ea adductis argumentis Joannes Marius Scribonius Gallus in Pantalithia seu Summa Theologiæ disp. 1. de Sacramentis in genere q. 7. non autem q. 6. (quam citat Card. Lugo disp. 8. n. 14.) quippe ibi impugnat sententiam hæreticorum, & solvit argumenta Alphonsi Salmeronis è Societate Jesu, quibus lib. 1. disputationum in Epistolâ Pauli 1. parte disp. 2. probat privatam intentionem ministri, qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut derisorie facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta aut eorum effectus, etiamsi Sacramentum in forma Ecclesiæ confecta administrat, quibus (inquam) probat hanc intentionem non vitare Sacramentum.

Notat quoque Dicastillo disp. 3. n. 46. Lugonem immeritò taxare Scribonium, quòd jam abolitam & sepultam sententiam conatus fuerit excitare; nam video (inquit) non antiquos tantum, sed recentiores etiam in illam inclinare, illamque ut probabilem & piam, aut etiam veram, sequi. Citat autem Sylvestrum, Catha-

Finis, propter quem actus est exercendus, secundum Scotum, alius principalis est, alius remotus.

47. Requiritur ad valorem Sacramenti intentio finis principalis seu proximi.

Ratio congruentius illius ex Scoto.

48.

49. Conclusio est communis.

Quamvis men post Trid. oppugnat Joannes Marius Scribonius

Non tamen loco à Lugone citatur

50. Notat Dicastillo Lugonem immeritò taxare Scribonium

Catharinum, Angelum, Alensum, Durandum, Gabriëlem, Valentiam, Michaëlem Zanardum, & alios apud Dianam 3. parte tract. 4. resol. 17. Et quod caput est (verba sunt Dicaft.) S. Thom. non semel aut uno in loco, sed iterum ac tertio id vel asserit, vel probabile putat.

Sed minus recte.
Sed reverà hic Auctor vel sibi ipsi non constat, vel non intellexit sententiam Scribonij (& quid mirum, cum fateatur se illum nunquam legisse?) nam num. 53. affirmat plerosque alios Auctores & ipsum D. Thom. non esse contrarios communis doctrinæ assertores; neque enim docent perfici Sacramentum, sed Deum misericordiâ suâ supplere defectum Sacramenti, non faciendo ut Sacramentum sit validum; sed conferendo ex misericordia gratiam, non characterem. Scribonius autem quid? docet (ut apparet) non solum conferri ex misericordia gratiam, sed etiam vi Sacramenti imprimi characterem, sive Sacramentum simpliciter esse validum; salvâ tamen (ut loquitur) Sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritate & determinatione, quam & sequi (inquit) usque ad mortem, & sequendam penitus doceo tanquam columnam veritatis.

51. Probatio Conclusionis ex auctoritate Ecclesiæ.
Porro illa auctoritate & determinatione præcipue nititur nostra conclusio: quippe non efficacius probatur, quam ex definitionibus Conciliorum præcedenti conclus. citatis, ex quibus colligimus hanc fuisse divinam voluntatem, quæ est ratio à priori. Certum etenim est, si Deus voluisset, intentio solius actus externi sufficere. Nunc autem Ecclesia definiens contra hæreticos requiri ad valorem Sacramenti animum serio & non joco agendi, satis significat ultra actionem externam serio exercitam, necessariam esse intentionem internam efficiendi Sacramentum.

Non negant hæretici actionem externam, etiam si sit.
Enimvero hæretici non negarunt actionem externam, etiam si sitam (ut patet ex Calvino supra citato) sed censebant confici verum Sacramentum à ministro, *intus* (ut loquitur Calvinus) *totam actionem substantiantem*. Quamquam non dubitem; quin etiam admiserint validum ministerium cum irrisione externa. Et in hoc ultimo dumtaxat Catharinus, Scribonius & alij videntur ab ipsis differre. Quid enim refert, quod fiat animo interno irridendi, si non requiritur animus conficiendi?

Respondes cum Scribonio supra q. 7. in principio: Cum homo sit agens liberum, nisi intentionem haberet Sacramentum conficiendi & conferendi, nunquam ad hoc opus procederet, præsertim cum

nullo metu percussus, nullâ pollicitatione illectus, sed spontaneâ voluntate hoc opus conficiendum aggrediatur: in omni siquidem actu humano sive libero est intentio agentis, cum omne agens voluntarium agat ex proposito & intentione.

En primum tuinosum fundamentum, super quo hic Auctor ædificat domum, levissimo vento subvertendam. Quid enim facilius & clarius, quam actum externum, v. g. ablutionem & prolationem verborum, ex sola Christi institutione habere rationem Sacramenti? Sicuti ergo ante institutionem Sacramenti poterat quispiam velle abluere & proferre verba absque intentione Sacramenti; ita & post institutionem liberum unicuique est abluere & proferre verba, sine vel cum animo conficiendi verum Sacramentum. Interrogo siquidem: si paganus aliquis, qui nihil unquam audivit de Sacramento Baptismi, proferet formam & ablueret infantem, num ideo intentionem haberet Sacramentum conficiendi & conferendi?

53.
Dices: In facie Ecclesiæ verè infans ministro Sacramentorum fuit oblatum cum debita parentum intentione ut illi Baptisma conferret, & minister habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quia de facto facit; & consequenter verè censetur baptizare; quia Ecclesia non judicat de occultis. Ita Scribonius.

Respondeo: non facit de facto quod facit Ecclesia; nam Ecclesia baptizat cum animo conferendi Sacramentum, ipse autem cum voluntate naturaliter abluendi & proferendi ista verba, v. g. ad pecuniam accipiendam, vel alium finem indifferentem. Aut si velit hic Auctor cum actu externo in facie Ecclesiæ necessariò esse conjunctam voluntatem conferendi Sacramentum, jam nihil docet diversum à communi sententia, ut patet. Nihilominus satisfaciamus alijs ipsius argumentis.

Argumentatur itaque secundo: Minister vices gerit Ecclesiæ; sed Ecclesia verè judicat eum esse baptizatum; ergo minister per intentionem internam ipsi Ecclesiæ non conformem (quæ illa præter intentionem non conficiendi Sacramentum?) si habeat externam illi conformem, & faciat quod ipsa facit, Sacramentum irritare non potest; præsertim cum virtus ejus extra actionem externam sese non extendat. Sed rursus petitur principium; jam enim negavi ipsum facere quod facit Ecclesia. Et sanè ubi aut quando Ecclesia judicavit eum verè esse baptizatum, quem minister baptizavit in facie Ecclesiæ absque

52. Responso ad primum fundamentum Scribonij, quod omne agens voluntarium agit ex proposito & intentione.

53.

54. Responso ad fundamentum secundum, quod Minister gerat vices Ecclesiæ, quæ verè judicat eum esse baptizatum.

absque animo conficiendi Sacramentum? Quidem in foro externo habetur pro baptizato; sed quia de defectu intentionis internae non constat.

Enimverò Ecclesia nonnè judicat Matrimonium publicè contractum esse validum, quamdiu non constat de defectu consensùs interni? Quis dixerit propterea esse validum in foro interno? Certè universa schola Theologica clamat contrarium. Etiam illi, qui docent ad alios contractus sufficere consensum externum, ad Matrimonium requirunt consensum internum. Et habetur cap. Tua nos de Sponsalibus, ibi: Nos autem quid iuris sit, rescribentes: dicimus, quòd si res ita se habuerit, videlicet quòd ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto coniugium iudicari, cum in eo nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugum valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, & defuit omninò consensus (scilicet internus) sine quo cetera nequeunt sedus perficere coniugale.

Cap. Tua nos, de Sponsal.

55. Non pendet valor Sacramenti à iudicio externo Ecclesie, quando illud iudicium innititur falsæ præsumptioni.

Sentent.

Non ergo pendet valor Sacramenti à iudicio externo Ecclesie, quando illud iudicium innititur falsæ præsumptioni: præsumit autem Ecclesia ministrum publicè administrantem Sacramenta habere legitimam potestatem & intentionem, atque uti debitam materià & formà. Hinc tamen non sequitur, quin Sacramentum in foro interno possit esse invalidum ex defectu potestatis, materiæ aut formæ; addo ego, & intentionis internæ. Quamvis enim intentio illa non sit pars intrinsecè componens Sacramentum, tamen (ut bene advertit Scotus supra n. 9.) Sicut causa efficiens requiritur necessario ad ipsum, tanquam causa extrinseca; ita illud quod est quasi principium agendi tali cause effectivæ. Principium autem ultimum determinans agens intellectuale ad agendum est intentio; quia tale agens per imperium voluntatis est causa activa motiva aliarum potentialium, quæ subiacent imperio voluntatis.

Minister Sacramentorum potius est minister Christi, quam Ecclesie.

56.

Lugo.

Præterea licèt operaretur nomine solius Ecclesie, adhuc actus foret invalidus ex defectu intentionis internæ, prout accidit in ab solutione ab excommunicatione, quæ datur à Sacerdote nomine Ecclesie. Ita Card. supra n. 53. Cum (inquit) sequatur conditiones condonationum & contractuum. Et si respondeas cum Scribonio in so-

lutione tertiæ objectionis: si iudex proprius proferat exterius sententiam abolutionis, reum esse verè absolutum, quantumcumquè interius aliud intendat, dummodò exterius illam fictionem non prodat. Hæc responsio (ait Lugo supra n. 18.) est in primis contra Theologos omnes, qui nullum actum legitimum validum iudicant, quando fit absque interno consensu.

Sed fallitur Emin. nam contractus omnes, etiam gratuitos, valere solo consensu debito, sentit Basilius Pontius de Matrimonio lib. 2. cap. 4. secutus Turrianum disp. 55. dub. 12. Eandem opinionem defendit Dicafllo de Iustitia & Iure tract. 3. disp. 1. dub. 19. num. 457. & sequentibus. Item tract. 4. dub. 4. & in opere de Sacramentis tract. 11. de Matrimonio disp. 1. dub. 4. & 7. cum fundamento, an sine fundamento in re, alibi examinabimus.

Redeo ad secundum argumentum Scribonij, & quod in illo addit; virtutem ministrum extra actionem externam sese non extendere, falsum ostendo vel in hoc unico, quòd laicus possit exercere eandem prout actionem externam, quam Sacerdos; & tamen non conficiet Sacramentum, v. g. Eucharistia; ergo virtus Sacerdotis extendit sese ad valorem, sive ad esse Sacramenti illius actus externi, quod est aliquis effectus moralis, imò & physicus in Sacramento Eucharistia, scilicet Corpus & Sanguis Christi, quæ si non physicè, saltem moraliter mediatè ponit præsentia sub speciebus panis & vini; & idem posset dici de gratia & caractere in alijs Sacramentis. Deinde sufficit, quòd Deus physicè non causet effectum Sacramentalem, nisi positus signis cum tali intentione interna.

Quà responsione facilè satisfat reliquis argumentis istius Auctoris; omnia enim, præter ultimum, supponunt Sacramenta à Christo instituta, non pendere ab intentione interna, vel certè intentionem ministrum contrariam non posse impedire causam principalem, qui est Deus, vel sufficere intentionem faciendi opus externum prout fit ab Ecclesia, quæ omnia aut sunt, aut involvunt, vel certè supponunt id, de quo disputamus, & ad summum probant Christum potuisse sic instituere Sacramenta, quod non negamus; sed dicimus ex Concilijs citatis satis constare, ea ipsa de factò instituta esse dependenter ab intentione interna.

Si petas, ubi Christus requisiverit istam intentionem (quod est ultimum argumentum Scribonij) solùm quippe dixit: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Et alibi:

Non restè ait Lugo, Theologos omnes non alium actum legitimum validum iudicare, quòd fit absque consensu interno. Basil. Pontius. Turrianus. Dicafllo.

57. Virtus ministrum extra actionem externam.

58. Ubi requisiverit Christus intentionem ibi tenam. Exister

Evangelium omni creature. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; ubi nullam profus facit mentionem intumæ illius intentionis, quam nos requirimus.

Respondeo, etiam non facere mentionem intentionis faciendi quod facit Ecclesia, & tamen illa requiritur secundum omnes. Eo ipso ergo, quod misit Apostolos suos tanquam ministros ad baptizandum, voluit quod operarentur ut ministri, scilicet ex intentione faciendi id, quod faciunt, non suo nomine, sed mittentis, sive ex intentione faciendi id, quod is, qui eos mittit, instituit, quæ est intentio valida.

Omissis ergo alijs argumentis Scribonij, quæ non difficulter solvi possunt ex dictis & dicendis; contra conclusionem sic explicatam

Objicitur Primò: Athanasius ludens baptizavit, quem Baptismum validum declaravit Alexander Patriarcha Alexandrinus. Respondeo cum ludo posse stare intentionem faciendi actum validum, sive faciendi quod facit Ecclesia; etiam cum fictione externa, dummodo adhibeatur legitima materia & forma.

Quid si enim aliquis fingeret se joco agere propter periculum circumstantis? Estimo validum fore Sacramentum (si cætera adsint) coram Deo, licet fortè ab Ecclesia judicaretur invalidum; neque enim à judicio ipsius (ut supra dixi) pendet valor Sacramenti, cum illud sæpe possit falli.

Ex quo non parum confirmatur communis sententia; quippe si Christus non instituit actum externum serium, id est, qui circumstantibus appareat Sacramentum, quo fundamento asseremus talem actum sufficere? Aut si sufficit; ut quid poenitens dubius, sub conditione animo retentâ, absolvi solet? aut ex pluribus hostijs consecrari una mente tantum determinata? Certè frustraneus est ejusmodi animus interius; quandoquidem Confessarius ita exterius se gerat, ac si absolute absolveret, & consecrans quasi omnes hostias ante se positas consecraret.

Ad propositum igitur, Athanasius adhuc puer baptizavit quidem alios pueros ad ludum & recreationem, interim tamen intendit non simulatè & fictè, sed verè facere, quod viderat Episcopum aut Presbyteros in Ecclesia facientes, prout natura pueroꝝ est actiones seniorum quoad possunt imitari. Cujus rei signum est, quod noluerit baptizare eos, qui jam erant baptizati, omniaque necessaria debite fuerint adhibita.

Simili modo responderi potest ad exemplum Genesij Martyris, quem aliqui asserunt valide fuisse baptizatum, eo quod primò quidem joco, & ad irrisionem Catholicæ fidei; postea verò, mente divinâ gratiâ in melius commutatâ, serio fuerit peritus; & ex parte ministri cum animo irridendi simul adfuerit voluntas, Deo ita suâ omnipotentia cor ejus dirigente; voluntas (inquam) faciendi, quod faciunt Christiani.

Pro quo noto, dupliciter quidpiam joco fieri. Primò ita, ut quis omninò serio faciat aut facere cogitet, tamen id ipsum referat ad jocum & recreationem tanquam finem extrinsecum, sive finem agentis; & de tali joco hic loquimur, quando asserimus eum posse stare cum seria voluntate administrandi Sacramentum, sive cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Secundò dicitur aliquid joco fieri, quando ita fictè & derisorie exercetur, ut jocus non tantum sit extrinsecus finis facti, sed ipsum factum intrinsecè sit jocus & ludus. Et si tali joco, seu representatione solum comicâ Baptismus exhibitus fuerit Genesio (ut multi putant, & probabilius apparet) dicimus eum fuisse invalidum; ideoque Genesium instar alterius Pauli, non vi Sacramenti, sed ex singulari beneficio, divinâ gratiâ præventum, per contritionem charitate perfectam fuisse justificatum, & ex fidei Christianæ irrisore factum fuisse ejusdem præconem.

Et sanè justificatio adscribi nequit Baptismo, esto validus fuisset; quia saltem fuisset instructuolus sacrilegè suscipienti, nisi quis dicat monitione Angeli (de qua meminit historia apud Vincent. Belluacensem in Speculo hist. lib. 12. cap. 104.) Genesium conversum fuisse, adeoque Baptismum recedente fictione per reviviscenciam effectum suum contulisse.

Sed contra est, quòd illa monitio Angeli præcesserit ipsum Baptismum; sic enim refertur: *Aqua hæc (inquit Angelus) delet omnia ista (peccata) quæ te fecisse cognoscis (quippe in libro omnia & singula scripta legebantur) Cum autem aqua perfusus esset, simul & liber ille perfusus, nive candidior effectus est; ita etiam ut signum scripturæ præterita non demonstraret.* Si ergo valuit Baptismus, etiam primò collatus contulit remissionem peccatorum; vel si peccata per contritionem præcedentem remissa fuerunt, contulit gratiam remissivam peccatorum, & valuit ad expiationem reatus poenæ, qui adhuc supererat.

Quidni potuit Deus illi Baptismo, etsi

61.
Et Genesio
baptizatoꝝ

62.

Vincent. Belluac.

59.
Responsio
ad argumē-
tum pri-
mum de
Athanasio
baptizante

60.

Pratum spiritui.

etsi apparent tantum, annectere poena remissionem, ut illam imaginem veri Baptismi honoraret? Sic quippe legimus in Prato spirituali c. 176. Judæum quemdam moribundum in deserto à comitibus petiisse Baptismum; cumque aqua deesset, arenam ab illis baptizatum, & statim convaluisset. Porro illa remissio poenarum sufficit, ut dicatur aqua delere peccata. Ita enim Act. 22. dictum est ab Anania Paulo jam per contritionem justificato: *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua; utique quoad poenam temporalem.*

Act. 22.

63. Objectio secunda ex D. Augustino.

Objicitur secundò auctoritas D. Augustini lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. (& refertur cap. 31. de Consecratione dist. 4.) ubi sic incipit dicere: *Soler etiam queri, utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit; & utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur cum simulatione; an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea, que putatur Ecclesia: an iocans, sicut in mimo? In quibus verbis (ut patet) solum loquitur de simulatione vel fallacia accipientis.*

Equidem in frequentibus agit de fallacia, simulatione & joco etiam conferentis, ibi: *Quid (inquit) profit animus veraciter dantis fallaciter accipienti, non video; sed arbitremur etiam fallaciter aliquem dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Catholica, utrum hoc magis Baptisma sit acceptandum, an illud, quod in mimo datur. Si quis existat fideliter, subito accipiens commotus, an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distat inter credentem in mimo, & iridentem in Ecclesia, ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil intersit ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant; cur extra intersit non video, quando ille, qui accipit non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur? & tamen si postea prodatur, nemo reperit, sed aut excommunicando puniuntur illa simulatio, aut puniendo sanantur.*

64.

Ecce proposita quaestio. Sed quæ responsio? Nobis tutum est in ea non progredi aliquam temeritate sententiam, que nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata sunt; id autem sit cura secunda vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesie consensione roboratum est. Et continuo

artexit: *Verumtamen si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quaestio versaretur, non praecedentibus talibus, quorum sententias sequi mallet, urgeret ut dicerem, quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dicerem; nequaquam dubitarem habere eos Baptismum (nota bene) qui ubicumque (in Ecclesia vel extra eam) & à quibuscumque (fidelibus sive infidelibus, veraciter sive fallaciter dantibus) illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquam eis ad salutem spiritalem non prodesset, si charitate caruissent, quæ Catholice infereretur Ecclesiae.*

Ubi nihil affirmat D. Aug. eò quòd nihil illuc usque definitum videret in Concilijs; sed quid dicturus esset, si in Concilio interrogaretur, & eodem modo affectus esset quo tunc, exponit; interim tamen nihil decernens.

Prosequitur autem: *Sicut iam praeferitis maiorum statutus, non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipiunt. Vbi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludricè & mimicè & ioculariter ageretur (nempe tam ex parte dantis, quam accipientis; hoc enim est totum ludricè agi) utrum approbandum esset Baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium per aliquos revelationis oraculum concordis oratione & impensis supplicii devotione gemitibus implorandum esse censerem, ita sane ut post me diceros sententias, ne quid iam exploratum & cognitum asserrent, humiliter expectarem: quanto magis ergo nunc sine praedictio diligentioris inquisitionis vel maioris auctoritatis istud dixisse accipiendus sum?*

Quid prudentius, humiliter & securius hoc processu in credendis? Quis ex his non clarissime intelligit, quid August. docuisset, si Ecclesia tunc temporis istam difficultatem determinasset, prout fecit postmodum in Concil. Florentino & Tridentino? Procul dubio usque ad effusionem sanguinis definitionem Ecclesiae propugnasset. Profectò si haeretici imitati fuissent hanc summam animi modestiam & submissionem sub Ecclesiae iudicio, non utique tunicam inconsutilem sive Ecclesiam Christi tam scèdè dilacerassent.

Card. Lugo disp. 8. n. 45. ne tanto Doctori (ut ait) crassissimam ignorantiam labem concedat, respondet Aug. nomine fallaciter dantis vel suscipientis non intellexisse dantem vel suscipientem absque intentione, sed absque vera fide aut existimatione requisita

65. Responso Lugon.

requisita de veritate Sacramenti, vel cum simulatione, fingendo se aliter sentire, quam reverà sentiat, id est, cum Catholicis simulando se Catholicum, cum hæreticis hæreticum.

Quanta benignitas in interpretanda mente D. Aug. Equidem in principio ejusdem numeri fatetur Aug. in eo capite de multis dubitasse; de quibus modò propter clariorem Conciliorum lucem nobis exhibitam amplius non dubitamus.

66.
Expositio
F. Hauzeur.

Et verò quia locus difficilis est, addo expositionem non multum discrepantem à præcedenti R. A. Parris F. Mathiæ Hauzeur Tomo 2. Anatomix in omnia & singula opera D. Aug. ubi commentans hunc locum, querit cur dubiter de nullitate Baptismi ludricè tantum & mimicè suscepti aut collati absque ulla fide suscipientium aut conferentium, vel intentione quidpiam seriò agendi? Et respondet: quia potest aliquid ludricè vel mimicè geri, & tamen sine intentione contraria institutioni. Porro sicut cause naturales, quamvis joco tantum applicatæ, habent tamen suos effectus con-naturales, nisi impediuntur appositione alicujus contrarij; ita & Sacramentum Baptismi videtur habere semper aliquem effectum sue institutionis, nisi obstat obex contrariæ voluntatis. Hæc ille. Quæ sit autem ista contraria voluntas, non explicat. Sanè si intelligat positivam voluntatem non conficiendi Sacramentum, communis sententia Theologorum est non sufficere in ministro ad validum Sacramentum absentiam hujusmodi voluntatis, sed requiri positivam voluntatem conficiendi Sacramentum. Ubi verò illa adest, non video quomodò totus Baptismus ludricè, mimicè & joculariter detur, nisi fortè secundum exterioriorem apperentiam. Profectò cause naturales etiam cum contraria voluntate, imò & à stultis atque pueris applicatæ, suum operantur effectum.

67.
Obiectio
tertia ex D.
Augustino.

Responsio
Scoti.

Obijcitur tertio idem Sanctus Doctor Tract. 5. in Joan. ibi: *Non timeo adulterum (in actu baptizandi) non ebriosum, non homicidam &c.*

Respondet Scotus supra n. 10. *Ad secundum dico, quòd ebriosus est, qui est assuetus ad ebrietatem: & iste non semper est ebrius, quia non semper impeditur ab actu rationis. Verum ergo dicit Aug. Non timeo ebriosum, id est, assuetum generaliter ad ebrietatem; quia consuetudo mala non prohibet, quin Baptismus ab eo collatus sit bonus, non tamen quando est ebrius & hoc dico perfecte, quando totaliter impeditur ratio.*

Quòd ita debeat intelligi S. Aug. manifestè colligitur ex adjunctis: *Non timeo*

(inquit) *adulterum, non homicidam.* An in actu peccatò? minimè; neque enim tunc solent baptizare, sed in habituali; siquidem in eo occupatur isto loco, ut probet malitiam ministri non obesse valori Baptismi: *Quia (inquit) columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat.* Vide supra conclusion. 2.

Obijcitur quartò: Christus potuit instituere Sacramenta independentè ab intentione ministri, & magis congruum est sic fecisse, nè (ut superius ostendimus ex D. Aug. & Chrysostr.) ex sola malitia ministri suscipiens patiatùr detrimentum. Secundo, ad evitanda: continuas anxietates & scrupulos fidelium circa valorem Baptismi & aliorum Sacramentorum.

68.
Obiectio
quarta ex
ratione.

Respondeo etiam contingere posse ex malitia ministri, ut defectu materiæ vel formæ Sacramentum sit invalidum. Quis autem propterea dicit materiæ & formam non esse necessariam, aut Deum supplere defectum materiæ vel formæ? Et tamen potuisset Deus ita instituere Sacramentum, ut valeret in quacumque materia vel forma collatum, dummodò circumstantes & suscipiens bona fide crederent esse legitimam.

Response.

Quin immò faciliùs & sapientiùs accidit invaliditas Sacramenti ex defectu materiæ aut formæ, quam intentionis; nullus quippe minister ignorat necessitatem intentionis, in qua elicienda nulla prorsus est difficultas; adeò ut non habere esset extremæ malitiæ, qualis non debet ulli adscribi. Unde manet moralis certitudo, qualem habemus de multis alijs, de quibus magis rationabiliter possemus dubitare, v. g. quòd simus filij talis patris, cum faciliè fieri possit, & subinde fiat, quòd ex levitate matris, tentatione, aliave occasione, simus filij aliorum. At verò minister & circumstantes interdum, etiam inculpabiliter, ignorare possunt essentialè materiæ & formam, quæ pendet ex mero beneplacito Dei; intentio autem quasi naturaliter & per se connectitur actu externo; eo ipso enim quo minister vocatur ad Sacramenti administrationem (nisi sit omninò perversus aut dæmoni devotus) & vocatus adest, habet aliquam intentionem, consulam saltem, in actu (ut vocant) exercitò, faciendi quod fideles petunt, aut quod Ecclesia facit; etsi non habeat adeò reflexam & expressam faciendi quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit.

Sapientia accidit invaliditas Sacramenti ex defectu materiæ aut formæ, quæ intentionis.

etiam propterea nemo anxius est de valore sui Baptismi.

Et tamen propterea nemo anxius est de valore sui Baptismi.

Et sanè cum hæc ita sint, equidem nemo anxius est vel scrupulizat aut dubitat propter defectum materiæ aut formæ de valore sui Baptismi, Absolutionis aut aliorum

Et tamen propterea nemo anxius est de valore sui Baptismi.

Sacramentorum. Aliud est de bonitate ministri (ut ex dictis supra colligi potest) illa enim sapius in ministris deest, sapius de vitæ honestate parum sollicitis.

Neque Deus omnibus inconvenientijs debuit providere, alioquin dicamus etiam infantes in utero solâ fide parentum posse justificari; imò & aliorum, quando ex malitia parentum in utero suffocantur, nè videlicet malitia parentum innocentibus noceat; vel (si placet) excipiamus omnes illos à regula generali, quam expressit Christus Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quis hoc asseret absque magna temeritate?

69. Propter raros ergo casus non debuit Deus mutare ordinariū cursum suæ providentiæ, aut ita instituire Sacramenta, ut nunquam possint irritè conferri bonâ fide suscipienti. Aliunde verò (inquit Lugo supra n. 50.) congruum erat Sacramentalis actiones esse actiones religiosas & cæremonias factas, quibus Deus ab hominibus coleretur; atque ad eò oportebat fieri ex intentione exercendi cultum illum: cultus enim non est sola actio externa, sed requirit voluntatem internam colendi.

Sed in oppositum facit, quòd externa collatio Sacramenti possit hominibus apparere ficta ac derisoria, & nihilominus esse validum Sacramentum, juxta eundem Auctorem n. 20. Videtur ergo sufficere, quòd actio Sacramentalis sit cultus aliquis materialis, qui accedente debitâ intentione possit fieri cultus formalis; & talis etiam cultus esset actio externa sine intentione conficiendi Sacramentum.

70. Obijcitur quintò: In alijs actibus humanis, puta contractibus & similibus, sufficit in nuntio vel ministro nuda executio operis; v. g. si ex præscripto Domini emat vel vendat, non requiritur particularis ipsius intentio emendi vel vendendi, ita quòd etsi contrarium intenderet, adhuc dominium rerum per actum externum transferretur.

Responsio. Respondeo primò cum communiore sententia, tam essentialiter requiri consensum internum ministri pro Domino ementis vel vendentis, quàm ipsius Domini; præterquàm quòd aliquando emptio & venditio valeat, etsi de facto Dominus amplius non consentiat; si v. g. revocatio mandati mandatario non innotuerit, de quo alibi. Aliud fortè est de nuntio, qui non dicitur contrahere nomine mittentis, sed solùm significat consensum & voluntatem ipsius; quæ voluntas si reverà non existat,

vel potius si fuerit revocata, etiam nuntio ignorante, nihil efficitur; sicut etiam si verba nuntiantis sint indifferentia, & proferantur nomine proprio, & non Domini.

In alia sententia, quæ ad valorem contractus non requirit nisi actum externum cum consensu debito, responderetur, saltem quemlibet dominum ita posse dare potestatem ministro pro se contrahendi, ut non valeat quòd actum fuerit, nisi accesserit interna intentio. Porro (ut dictum est) noluit Christus valere Sacramentum absque intentione interna ministri.

71. Similis est objectio, quam habet Scotus supra n. 5. *Instrumentum non oportet quòd habeat actionem propriam; quia in actione propria non esset instrumentum, sed principale agens: nec multò magis oportet, quòd instrumentum habeat intentionem respectu finis, sed sufficit quòd dirigatur à principali agente intendente finem: minister est instrumentum Dei; ergo &c.*

Respondet Doctor n. 6. *Quòd aliud est loqui de causa secunda, & aliud de instrumento proprie dicto; causa enim secunda habet formam propriam in esse quieto, quæ est sibi ratio agendi in ordine suo, & hoc respectu eiusdem effectus, respectu cuius agit causa principalis in suo ordine; ita quòd universatim secunda causa proprie accepta effectum principalis cause per formam suam propriam attingit, in virtute tamen causa principalis agentis, quia subordinatur illi. Jam autem (ut ait n. 9.) Minister est causa secunda respectu ablutionis, non tantum ut ablutio est, sed ut Sacramentalis; & tunc habet propriam intentionem, cum sit agens voluntarium & non naturale, illam scilicet quæ pertinet ad cognoscendam.*

Plura alia obijciuntur contra hanc veritatem, sed quia nullius ponderis sunt, ab illis referendis & refellendis superledeo. Quæro autem, an quemadmodum requiritur intentio conficiendi Sacramentum, ita etiam sit necessarius animus conferendi effectum Sacramenti? Resolutio Doctoris Subtilis est hæc:

CONCLUSIO V.

Cum voluntate non conferendi effectum Sacramenti stat intentio faciendi quod facit Ecclesia.

72. **D**ico (inquit supra n. 4.) quòd intentio finis ultimi nullo modo requiritur in baptizante &c. Et n. 9. *sed respectu principalis effectus*